



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

lum oriatur ex resistantia, & inobedientia non claudendo officinas, quod catholici semper vitare tenentur, quoties id licite fieri poterit. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 7. & 8.

DECISIO XVIII.

Ex cons. 16. alias. 24.

18 **L**icet quantumvis doctus de fide disputans, dummodo sciat id esse prohibitum sub pena excommunicationis, mortaliter peccat, & excommunicandus est, cap. Quicunque. §. inhihemus, de hæret. in 6. ipso tamen iure sic disputando excommunicationem non incurrit.

DECISIO XIX.

Ex consil. 17. alias 6.

19 **S**icut scriptura priuata manu aliena scripta, nemini nocere debet, nisi testibus munita fuerit, vel manu propria quis ei subscripserit, c. 1. & 2. de fide instrum. glo. Innoc. & Felin. ibi. Sic nemo accusandus, aut arguendus est, eo quod hoc, vel illud scripserit etiam sua manu propria in chartulis, commentariolis, & alijs memorialibus imperfectis, indigestis, & inemendatis, quibus manus extrema non sit adhibita, aut in lucem edita non sint. lex scriptur. de testamen. Immo excusandus est cuiuslibet operis scriptor, si in eius editio ne sit proceffatus, se illud Sacrosanctæ Ecclesiæ iudicio, & censuræ submittere, etiam si opus sit editum, & manu extrema donatum. capit. Damnamus. §. in nullo tamen. de summa Trinit.

DECISIO XX.

Ex cons. 7. & 11. in Nouis, quæ eadem sunt, de sunt in antiquis.

20 **I**nfordeffens in excommunicatione ex quacunque causa incurfa ultra annum contra ipsam publicata, immo etiam si excoicatus declaratus non fuerit, (cum Extrauagans. Ad euitanda ipsismet excoicatis nihil proffit,) à iudice competenti ad dandam rationem suæ fidei catholice vocari potest; cap. ad abolendam, §. præfenti. de hæret. Concl. Trid. ses. 25. de ref. ca. 3. non tamen vt hæreticus declarari potest, aut de hæresi suspectus, nisi per annum continuuum (qualis non est quando etiam per absolutionem ad reincidentiam absolutus fuit.) à die monitionis in eadem excommunicatione nec pertinaciter perseverauerit. cap. cum contumacia. de hæret. in 6.

DECISIO XXI.

Ex cons. 8. in Nouis, deest in antiq.

21 **H**æresis manifesta non est, nec ad sacræ inquisitionis officium spectat, dicere in maxima hominum mortalitate, ob frequentia funeralia, Christus multum lucrabitur; Christus pauciores habebit amicos, si pergit eos occidere; Ad maiorem tamen securitatem talis sancto officio se præsentare potest petendo declaratoriam, vel si iudicatur in foro exteriori culpabilis, absolutionem.

DECISIO XXII.

Ex cons. 16. & 17. quæ ferè eadem sunt, de sunt in antiquis.

22 **A**biurans hæresim ob leuem, aut vehementem suspicionem falsam tamen, & condemnatus vt cum alijs publicè candelam in manibus portet, & ad trirèmes ob penitentiam ad paruum tempus transfusus & si in foro conscientie innocens sit, & ab irregularitate liber, poteritque, vbi nō timet de foro exteriori, ordines suscipere, & celebrare; in foro tamen exteriori irregularis ob solemnem & publicam penitentiam iudicabitur.

DECISIO XXIII.

Ex cons. 23. in Nouis, deest in antiquis.

23 **F**ilij nati ante dignitatem patris, vel postquam ab ea mortuus, vel mortuus fuerat, sicut illius priuilegijs non gau-

dent. l. emancipatum ff. de senator. ita qui ante patris hæresim, vel rebellionem nascuntur, penijs eorum non afficiuntur, sed licite absque dispensatione ad honores & Magistratus promoueri possunt, nec sub dispositione cap. statum de hæret. in 6. comprehenduntur. Argu. l. 2. C. de liber. & eorum liber.

TITVLVS VII.

De Apostasia, & Apostatis,

SUMMARIUM.

1 Apostata a religione quis dicendus.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

1 **C**um ex consensu Doctorum Apostata a religione dicitur religiofus expresse, vel tacite professus, qui in religionem, quam professus est, deserit sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam; Nec monachus in religione, & intra Monasterium degens, etiam si iustis Prælati præceptis obedire renuat, aut votum castitatis violat, Apostata dicitur, Cai. 2. 2. q. 12. art. 1. sed in obediens, & impudicus solum appellandus est: Neque qui Monasterium exit sine licentia Prælati absque animo deserendi religionem, quamvis cum intentione intrandi aliam religionem, etiam laxiorem, si intret illam, Apostata erit, aut in Apostatarum penas incidit. ex Innoc. in cap. si de renuicis. & in cap. intelleximus de atat. & qualit. cum tali a religione non recedat: Multoque minus Apostata censeri debet, qui ad arctiorem religionem transit, petita, licet non obreita superioris licentia, cum talis transitio non sit retrocessio criminosa aut mortifera, cap. licet. de regula. qualis tamen requiritur, vt quis sit Apostata: Neque etiam cinnis retrocessio mortifera, & propter quam incurritur, excoicatio maior, Apostatam efficit; cum per temerariam habitus desertionem peccetur mortaliter, & iure ipso excoicatio incurritur, c. 2. Ne cleric. vel monac. in 6. nec tamen Apostata efficitur, & hoc etiam si dimisso habitus fieret ad liberius peccandū, cum animo tamen eum statim resumendi; ita Extrau. Viā. de regul. Neque qui Monasterium egreditur inconsulto Prælato per aliquot paucos passus statim reuertitur, Apostata censetur; cum talis egressus non sit mortalis, eo quod materia paruitas in omni materia a mortali culpa excusat; ex S. Thom. 2. 2. quæst. 59. artic. 4. ex Nauar. in Man. cap. 11. num. 4. Immo etiam si causa vagandi sine licentia sit egressus, & sine intentione intrandi aliam religionem, modo intentionem deserendi religionem non habeat. vt Caiet. 2. 2. quæst. 12. artic. 1. Sed nec Apostata erit, qui mediante legitima dispensatione ad aliam religionem, vel ad aliam locum transferatur; ita Extrau. Viā. de regul. aut qui ad Episcopatum translatus est; Clem. 1. de elec. & cap. cum olim. 2. de priuileg. Nec institutus perpetuo in aliqua ecclesia, qui desinit esse claustralis; glo. in clem. 1. §. ad hæc de statu monac. Neque qui auctoritate sui Generalis vel Prouincialis exit, & extra Monasterium degit subueniendo necessitati parentum, inquam post eius professionem inciderunt; ex S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 5. & Nau. in Man. cap. 14. num. 14. & multo minus si ante professionem eius tanta necessitate oppressi erant, quia tunc etiam nolente Superiori exire tenentur, & eius subuenite, si possit; ita S. Thom. vbi supra. vnde nec Bullas Pauli I V. Extrauagan. postquam constitut. 29. aut Pij V. Extrauagan. quæcunque constit. 91. incurrit, nisi Apostata a religione, qui exeunt Monasteria, & religiones per exitum mortiferum, eum animo non redeundi ad religionem, quas professi sunt, nec alias intrandi.